



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 6. An est mortale agere vel velle aliquid graviter illicitum ob finem  
bonum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

Q. 6. *An est mortale agere, vel velle  
aliquid graviter illicitum ob  
finem bonum?*

*Resp. Aff. ita omnes: quia 1. Ad Rom.*  
3. *Graviter damnatur illud: faciamus  
mala, ut veniant bona.* 2. *Voluntas mala  
est hoc ipso, quod vult id, quod malum,  
& ex quocunque motivo illud velit. Nam  
actus voluntatis sumit malitiam ab eo om-  
ni in quod fertur, ex Ose. 9. facti sunt  
abominabiles, sicut ea, quae dilexerunt.*  
Neque enim finis bonus malitiam objecti,  
seu medii tollit, cum ejus naturam non  
immutet. 3. *Volitio finis honesti ut per  
medium illicitum comparandi est mala.*  
Nam tendit in objectum modo naturam  
rationalem dedecente, & contra legem;  
disconvenit enim naturae rationali, & legi  
prosequi bonum per medium illicitum, imò  
volitio finis honesti per medium licitum,  
sed in circumstantia mala, est vetita, & ma-  
la. Nam disconvenit naturae rationali, &  
legi divinae, & finis honestus non potest  
nisi dedecenter & disconvenienter natu-  
rae rationali appeti per medium licitum in  
circumstantia mala, v. g. velle celebrare  
Sacrum propter bonum finem in loco de-  
decenti. *Quod est secundum se malum ex  
genere, nullo modo potest esse bonum, &  
licitum; quia ad hoc, quod aliquid sit bo-  
num,*

*num, requiritur, quòd omnia rectè concurrant; bonum enim ex integra causa, malum verò ex singularibus defectibus. Ait S. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3.*

*Q. 7. Quanam sunt peccata mortalia, vel venialia ex genere suo?*

*Resp. I. Cum S. August. Enchirid. c. 78. Quæ sint levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda iudicio, & c. 79. sunt autem quedam, quæ levissima putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione graviora, quis enim dicentem fratri suo, fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret?*

*Resp. II. Id sicut tota doctrina morum repeti debet. 1. ex Scriptura. Quæ enim ab illa dicuntur abominabilia, detestanda, execranda, Deo exosa, digna morte, gehennæ, excludere à regno Dei, vel ob quæ dicitur væ! Judicanda sunt ex genere suo mortalia. 2. Ex traditione, quæ exstat in scriptis Patrum. 3. Ex definitione, & sensu ecclesiæ, quæ semper est infallibilis in doctrina fidei, & morum. 4. Ex ratione fide illustrata, & his principiis nixa. 5. Ex unanimi Doctorum consensu.*

*Resp. III. Peccatum mortale ex genere suo est illud, intra cuius objectum, seu materiam datur aliquid grave, seu graviter*

*re-*